

Hermann CONRING

CARMINA GRATULATORIA

(556 vers)

Le texte proposé ici est celui de l'édition parue  
chez Georgius Wolfgang Hammius, à Helmstädt, en 1708.

HERMANNI CONRINGII CARMINA GRATULATORIA SPARSIM ANTEA EDITA.

CARMEN QUO CONRINGIUS CONCLUDIT LIBRUM QUEM EDIDIT DE FINIBUS IMPERII.

C\_1 v.1 Imperii fines, per longi temporis actus,  
 2 inque vicem bona cessa malis, immensaue quondam  
 3 angusto contracta loco, sed jure perenni  
 4 ampla tamen satis, et reliquo sat robore tuta,  
 5 perscripsi : quae rara pedum vestigia signant,  
 6 avia jamdudum peragrans dumisque referta.  
 7 Interea misere lapsas res erigit omnis  
 8 Teutoniae, magnique agitans comitia regni  
 9 magnus, et Augusto sobolem diademate cingens,  
 10 vocibus innumeris applaudente aethere, Caesar,  
 11 fortunate nimis triplici jam murice splendens,  
 12 o juvenis, jam tum Hesperii spes ultima mundi,  
 13 et vos semidei proceres, generosa propago  
 14 heroum : vobis hic sanctus panditur ordo  
 15 Imperii, quondam seu duro Marte regendum,  
 16 mollibus aut fuerit ducendum pacis habenis.  
 17 Fas mihi sit dare thura sacris, ubi maxima Roma  
 18 Ausoniique omnes adolent ; ubi victima multa  
 19 Burgundo mactante cadit ; Lotharingius ingens  
 20 ipseque cum Venedo supplex Theotiscus adorat ;

21 mille alii festosque dies ritusque celebrant,  
 22 Danubio multum laetante, faventibus et Dis.  
 23 Salve magne Ister, liceat mihi dicere verum,  
 24 et casus memorare graves, durosque labores  
 25 Imperii. Meministi autem et felicia saecla,  
 26 Germanam quando trepidabant undique gentes  
 27 ferri aciem ; rursumque eadem praesage futuri  
 28 fata secuturis Ponto minitaris ab annis.  
 29 O utinam sua prisca animis concordia nostris,  
 30 cana fides, pridemque Themis proscripta redirent !  
 31 Sat felix Germane fores in finibus artis.  
 32 Fallor, an et priscam longe trans culmina celsae  
 33 Pyrenes, transque aerias vim dideret Alpes  
 34 Teutonia, ac nostrum, victo licet orbe superbus,  
 35 pronus adoraret vestigia Turcus equorum ?  
 36 Tunc ego, jam multo fortassis tempore fractus,  
 37 jam tremulusque licet, frontem redimitus oliva,  
 38 et niveam indutus vittam, finesque reversos  
 39 dicerem et aeternis celebrarem laudibus aevum.

GRATULATIO EPICA NOVIS HONORIBUS HERMANNI MEIERI ET ZACHARIAE SITHMANNI  
 QUUM IN ACADEMIA HAC I. U. D. CREARENTUR CONSECRATA.

C\_2 v.1 Patria, quae Martis succumbis pressa furori,  
 2 et proprio nunc ense cadis, quam civica tollit  
 3 dextera, et immani jugulat nunc Teutonus ira.  
 4 Si quem etiam poteris num dilexisse tuorum,  
 5 si dici quisquam meruit tuus, atque pusillum  
 6 Germani Germanus habet, si candida quondam  
 7 non penitus nigro nix est infecta Trionum :  
 8 hos saltem pia mater ama, quos murice frontem  
 9 pingimus, et doctum sublimi sede locamus,  
 10 praemia pro meritis dantes. Intersere fastis  
 11 nomina, civiles et civibus insere cives.  
 12 Non illos scelerum Cadmi dentata propago  
 13 in partes infida trahit, non sanguine dextram  
 14 fraterno temerant, acuuntque in damna tuorum  
 15 spicula, crudelis cupidam letique machaeram.  
 16 Integri et insontes tot mille piacula mundi  
 17 inter, et immensum scelerum mare, totque procellas  
 18 Austrique Boreaeque agitant sua tempora vitae.  
 19 Qualis ubi terras collustrans lumine Titan,  
 20 perque fimeta trahens radios, caenumque pererrans  
 21 immaculatus abis, purusque immergeris undis.  
 22 Nec vero in tenebris per pigrae lenta vacunae  
 23 otia, non Bacchi per despumantia Rhenum  
 24 pocula, vel Cypriae certamina mollia divae,  
 25 quodcumque est trivere aevi ; sed magna Triboni  
 26 quae mens constituit, jussitque augusta voluntas  
 27 servari, vigiles volverunt pectore semper.  
 28 Vos Decii, et docti sinuosa volumina Baldi,  
 29 accursive labor, tuque, o felicior aevo  
 30 Cuiaci, rectique tenax Bartole vetusti,  
 31 Azoque sublimis, seu quotquot clara Themistos  
 32 lumina nec numeri nec mens ignara capessunt :  
 33 dicite, quid Pyrois late flammantibus alis  
 34 mane novo, serus quid vesper ab aethere vidit,

35 et nunc immemores nequeunt memorare lucernae.  
 36 At vos felices animas quisnam abstulit aevi  
 37 stultitia genius melior ? Quo numine dextro,  
 38 quove sacro, per tot fallaci vortice syrtes  
 39 navem agitis vitae ? Manibus quis doctior artes  
 40 aut Ariadnaeo vos duxit stamine, per tot  
 41 anfractus et tot contorta volumina juris ?  
 42 Quis rigidas legum pedicas, quis triste catastae  
 43 officium docuit, solum quum regnat iniquum,  
 44 omneque jus pedibus furibunda licentia calcat ?  
 45 An scelere in medio cippis locus ? Anne columbar  
 46 Lautomiaeque suis constringent crimina vinclis ?  
 47 Astraeae cur sacra agitis ? Quid desita dudum  
 48 munera speratis ? Toto Themis exsulat orbe.  
 49 Te certe procul aufugiens, Germane, reliquit,  
 50 nequiquam revocante probo. Num saecula redibunt  
 51 pristina fortassis ? Num fulvo concolor auro  
 52 lux aliqua emerget rursus, justasque secures  
 53 grande nefas metuens maestam trepidabit arenam ?  
 54 Fallor, an illuxit melior spes ? Vosque secundis  
 55 servatis rebus, fortesque retunditis omnes  
 56 Fortunaequae minas, saevique pericula Martis ?  
 57 Macte viri his estote animis ? Quo carmine durum  
 58 pectoris aes dicam ? Quo vos, pia corda, celebrem  
 59 nomine balbiloquus ? Manibus date munera plenis,  
 60 in meritos spargam cives, fungarque brabeutae  
 61 hoc saltem officio vates. Mihi nectite lauro  
 62 intextis passim violis duo sarta Camenae,  
 63 et doctas cingam frontes. Superaddere donis  
 64 haec liceant, Astraea, tuis. Quae pignora Balthi  
 65 Julia subduxit fas est cumulentur honore,  
 66 qui plebem superat. Majus nihil aethere Phoebus  
 67 nominibus justis civis videt. Omnia cedunt  
 68 huic titulo ; vili populus licet aestimet ostrum hoc  
 69 sanctius, et splendens vulgo praeponderet aurum,  
 70 altior aut sedes. Sed tu, Meliboce, memento  
 71 post cives decorare bonos. Haec praemia sunt  
 72 post nova. Quem rabies non flexerit impia turbae  
 73 de meliore via, quem non vesana libido,  
 74 aut nummi fulgor patriae dimovit amore,  
 75 hic bonus est civis. Bonus est jactata procellis  
 76 cui ratis est cordi, quem de statione reverti  
 77 spes prohibet melior. Fortis non deserit hastam,  
 78 abjicit aut clypeum, victor licet ingruat hostis,  
 79 et formidati prosternant cuncta caballi.  
 80 Spes alit agricolas. Plenus spe navita ridet  
 81 Oceani furias, et vasti jurgia ponti  
 82 excipit invictus. Negitet quis praemia forti ?  
 83 Reddite magnanimis grati sua dona. Corona  
 84 non desperanti debetur civica civi.  
 85 Talis, ubi Cannae sitiens fauce cruorem  
 86 hausissent, Romane, tuum, victorque mearet  
 87 Hannibal ad portas, atque omnem fusus arenam  
 88 tinxisset Paulus, potuisti Varro mereri  
 89 aufugiens grates. Non desperasse salutem  
 90 visa salus, fortisque tulit fuga praemia leti.  
 91 Vos vero, robustae animae, queis forte metallum  
 92 circumstat pectus, queis toti publica curae

93 sunt bona, spe salvi generosa, pergite fortes,  
 94 fortiaque adversus corda objicitote periclis.  
 95 Non semper caelum iratum. Non nubila semper,  
 96 aut Boreae semper rabies fremit. Est ubi Titan  
 97 laetior exurgit, torvas reverberat iras  
 98 Aeolus, et facili ridet Saturnius axe.  
 99 Nostra etiam fines capient mala, nec sua damna  
 100 posteritas scibit felix. Meminisse juvabit  
 101 quae patimur quondam, trucis et dispendia Martis  
 102 fabula venturis narrabitur inscia natis.

IN NUPTIAS JOANN. FRIDERICI STISSERI  
 ET HELENAE SOPHIAE MARTINI ENGELBRECHT  
 IC.TI ET ORDINUM ARCHIEP. MAGDEBURG. SYNDICI FILIAE.

C\_3 v.1 Nil certi mortalis habet, diviniior ipsa  
 2 mens agitur varium, tacito seu cuncta volutet  
 3 fortior orbe Deus, proprius seu distrahat error.  
 4 Stissero immotum quidnam quis conjuge dicat ?  
 5 O hominum rerumque vices ! An flumina flammis  
 6 algida lucebunt ? Gelido demissa Trione  
 7 an nix Aethiopum ferventes vestiet agros,  
 8 cumque lupis trepidae jungent praesepia damae ?  
 9 Nil mirum est. Stisserus amat, blandisque puellae  
 10 induitur frenis. Uno mens concidit ictu,  
 11 illa Dionaeae spretrix generosa sagittae.  
 12 Stat rigidis pater Oucer aquis, tardosque Bootes  
 13 vix agitat currus, cano dum Bructerus horret  
 14 vertice, et Hercyniis proscribit gaudia terris,  
 15 certantesque jocos volucrum. Ferventior unus  
 16 Jan Fridericus abit, laetis morosa refutans  
 17 tempora pectoribus, glacialeque igne resolvens  
 18 torporem Jovis, immitem nunc despicit Arcton.  
 19 At vero inuptae sua per laureta Camenae  
 20 hactenus, adque sacram Charites Aganippidos undam  
 21 intactum, te sponse, aluere Cupidinis arcu.  
 22 Totum te Phoebus, totum modo Pallas habebat.  
 23 Afixumque severo operi ; seu docta Stagirae  
 24 sedulus, aut dulcem late redolentia Hymettum  
 25 tractares monumenta manu. Tibi fortia rerum  
 26 Cecropidum populi et quicquid gens Romula quondam  
 27 ausa animo ingenti, melius vel postera quicquid  
 28 saecula spectarunt, Divae memorasse feruntur.  
 29 Ipsa tibi sua sacra Themis, sanctosque recessus  
 30 reclusit pietas, vultu conspecta priore,  
 31 qualis erat cum mordaci sine lite fluebant  
 32 tempora, nec nosset varias ecclesia partes.  
 33 Vos quibus arcanumque aperit natura penetral,  
 34 obscurumque ostendit iter, rerumque vagantes  
 35 Maeandros, tantis quae vis robustior ausis  
 36 detraxit torvas animas, quid numina tanta  
 37 insignem pietate virum sprevisse coegit ;  
 38 dicite, et insolitae causas expandite flammae.  
 39 Anne tua cecidit, petulans puer, inscius arte ?  
 40 An frontique volens pulchrae, roseoque genarum  
 41 succubuit decori, teneris dum molliter ulnis  
 42 haeret, et haud rarus dulci serit oscula labro ?

43 Fraude tua cecidisse puto : tibi mille, puelle,  
 44 mille nocendi artes, neque gratior altera, quam quae  
 45 hostia Phoebæ grege de mactatur ad aras.  
 46 Ira vetus superat, spretisque injuria teli  
 47 non moritur, multo dudum licet arserit igne  
 48 Delius, et rigido specteris cortice Daphne.  
 49 Haec quoque laus tua sit, sit et haec victoria nervi  
 50 et pharetrae excussae. Phoebus dum cedit amori,  
 51 quem pudeat cecidisse hominum ? Fortuna magistrum,  
 52 cultoresque eadem voluit. Sed laese Batavas  
 53 quid, Stissere, petis terras ? Quid spumifer undis  
 54 auxilii tu, Rheneferus ? Vahalisne retundet  
 55 ossibus ardentes, vel Mosa Cupidinis ignes ?  
 56 Nil quicquam Phoebæ ignotum : res tota medendi  
 57 illius inventum est ; tactus tamen ille sagitta  
 58 in flammam abiit, non simplice vulnere victus.  
 59 Quin etiam in liquidis desaevit pinniger undis,  
 60 saepeque Nereidum fervet domus ; ipse tridente  
 61 omnia conquassans, horrentia corda serenat  
 62 Neptunus, fallitque aries Bisaltida fictus.  
 63 Quid fugis, ah, demens ? Fugiendo incenditur ignis,  
 64 et stimulat motus sopitam pectore flammam.  
 65 Sic ubi congerie stipularum clausa lateescit  
 66 scintillae mica effumans, attacta resurgit,  
 67 horrida vicinis minitans incendia tectis.  
 68 Quod procul est mage quaerit amor, praesentia sordent  
 69 saepius. In vetitum ruimus, petimusque negata  
 70 fervidius stolidi, fugiendo parva dehiscunt  
 71 vulnera, et in penitus rapiuntur tela medullas.  
 72 Talis in Hercyniis quam fixit arundine silvis  
 73 telorum prudens venator, cerva pererrat  
 74 umbrosos Brocci saltus, tandemque Bodonis  
 75 ad latices animas exhalat corde volucres.  
 76 Tu quoque quando fugis mage laederis : acrius ardes  
 77 in Batavis. Tactus lymphis excanduit aestus  
 78 mollior, et tacitum perreptat fervidus ossa.  
 79 Unus Hymen medicina mali ; certa inde petuntur,  
 80 quae deploratos tollant medicamina morbos.  
 81 Hymen, o Hymenaeae, fave. Cape flammea laetus,  
 82 atque citis adsis pedibus. Vincito corollis  
 83 tempora, quas lauro distinguat amaracus acri.  
 84 Fas est, funereis mollis permixta cupressis  
 85 stet myrtus. Tristes, fas est, ut luceat inter  
 86 taeda frequens taxos, donum geniale Diones,  
 87 sed quod in umbriferis producit Bructerus hortis.  
 88 Tu quoque, Juno, fave. Tibi vincla jugalia curae  
 89 ante omnes, pulchraque beas tu prole parentem  
 90 natorum cupidum et vitae post busta manentis.  
 91 Non hic Teucrum aliquis Priami de sanguine cretus :  
 92 illudit regina tibi. Non scandit adulter  
 93 nunc Danaum thalamos, Helenaque prehenditur ulnis  
 94 impius hospitii et lecti temerator Achivi.  
 95 Altera nunc Helene, sed quae sit Castore digna  
 96 atque tuo Pollux ovo, multoque cruore,  
 97 quam redimant Graii, potius quam semine natam  
 98 Tyndaridum. Paris alter adest, cui munera Pallas  
 99 sponte sua divina dedit, pietasque virentem  
 100 et nectit gravitas aeternum frontis honorem ;

101 tales, Penelopen facundo junxit Ulyssi  
 102 parvus amor. Fortis castam sic Hector amavit  
 103 Andromachen. Sic nupta suo Cornelia Graccho,  
 104 inque tuas aedes transivit Julia Manli.  
 105 Vos vero, queis casta parat nunc gaudia Phoebae,  
 106 ite, beatæ animæ. Non turbet gaudia luctus.  
 107 Brachia non helices vincant conjuncta marito,  
 108 aut ulmo, aut salici vitis mollem educat uvam,  
 109 Sola eadem pronum tangens radice flagellum  
 110 maesta dolet sterilis. Numeret quoque basia lectus,  
 111 si fas est numerare : thoro sunt basia curæ.  
 112 Ite animæ, et seros atavis donate nepotes,  
 113 spemque ævi nobis melioris reddite. Marte  
 114 omnia nunc pereunt ; per vos Erycina reducat,  
 115 robore quod multo labentem fulciat orbem.

IN NUPTIAS BERNHARDI CLINGII REIP. ROSTOCHIENSIS CONSULIS TERTIUM MARITI  
 ET URSULAE DOROTHEAE IOANNIS DICII CONSULIS EIMBECENSIS FILIAE.

C\_4 v.1 Varne pater, roseam propter qui laberis urbem,  
 2 inque tuas placidus Balthide mergis aquas :  
 3 accipe Brunoviis iterum quæ mittitur oris,  
 4 altera feminei gloria magna chori.  
 5 Ursula in Hercyniis educta latentibus umbris,  
 6 Ursula, sed mitis, non fera corde, venit.  
 7 Dicius huic genitor, Cereri qua jungitur Evan  
 8 Eimbecidumque diis fortia vina coquit.  
 9 Adspice compositos mores et lactea colla,  
 10 adspice purpureis aemula labra rosis.  
 11 Non Dryades inter fuit altera pulchrior umquam,  
 12 multa sed et victa est Naias ipsa genas.  
 13 Ast erat indomitum pectus spretrixque virorum,  
 14 nec tua curavit spicula, parve puer.  
 15 Seu fuit innuptæ Phœbes hæc aemula virtus,  
 16 invida seu potius restitit arte Venus.  
 17 Sæpe pater dixit : "Generum cape filia tandem,  
 18 progeniem debes, cara puella, mihi."  
 19 Illa verecundo faciem suffusa rubore,  
 20 crimen ut exhorrens gaudia blanda thori :  
 21 "At mihi perpetua des virginitate fruisi,  
 22 inquit, et imprudens haud satis apta petit.  
 23 Vana rogas, formosa, quibus tua forma repugnat,  
 24 non patitur solum pulchra papilla thorum.  
 25 Talia sperantem temere Peneida nympham,  
 26 nunc etiam in rigida cortice Phœbus amat.  
 27 Panaque delectat calamo trivisse labella,  
 28 non potuit versa fronte perire calor.  
 29 Miles erat Triviae gratissima Parrhæsis olim,  
 30 Juppiter est praesto cum subit illa nemus.  
 31 Nec pudet os caelis rictu deforme locare,  
 32 nunc quoque spectaris Parrhæsis ursa polo.  
 33 Dicia quid speras ? Frustra cupis Ursula dici,  
 34 terret amatorem non sonus asper acrem.  
 35 Brachia non villis et aduncis unguibus horrent.  
 36 Nil tetricum vultus linguaque rauca gemit.  
 37 Nomen it adversum menti, moresque refutant,  
 38 pellere procantes qua feritate studes.

39 Si fera vis audire, feris sunt retia tensa,  
 40 cassibus et capitur Maenalis ursa suis.  
 41 Si reliquos spernis, quin, Ursula, diligis Ursum,  
 42 sponte sua sese subjicit ursa pari.  
 43 Talibus indomitam dictis ursere parentes ;  
 44 saepe etiam lacrimis commaduere preces.  
 45 Sed frustra immotam pertentant flectere mentem :  
 46 durus ut a nullo frangitur ense lapis.  
 47 Diva Venus docuit tristes ardere leaenas,  
 48 si velit haec eadem mollius ursa calet.  
 49 Pascitur excellens inter tua, Varne, roseta  
 50 ursus ; at humana blandior arte fera.  
 51 Qualem non metuant imbellia terga bidentum,  
 52 at sibi pastorem quaeque juvenca petat.  
 53 Ille tibi vidui deplorat taedia lecti,  
 54 ad tua prostratus litora, Varne senex :  
 55 si tua defluxit me consule lenius unda,  
 56 auspiciisque meis hostica pulsa manus ;  
 57 redde, pater, sociam taedasque accende jugales,  
 58 ne mea sic orbo tempora dura meent."  
 59 Dixerat. At facili subridens annuis ore,  
 60 atque suum pateris pondus habere preces.  
 61 Ire jubes, dulces ubi nuper senserat ignes,  
 62 laetior in nota flamma resurgit humo.  
 63 Advenit et spectat per opaca silentia Brocci,  
 64 inter Hamadryades quas alit alma Venus.  
 65 Ursula adest : spectata placet prae millibus una  
 66 tu quoque Dikiadae non minus, Urse, places.  
 67 Vix tu visus eras, feritas innupta recedit,  
 68 et subito versa mente puella calet.  
 69 Unius adspectum vocemque haud sustinet ursi,  
 70 tot quae sustinuit durior ante viros.  
 71 Seu fuit insolitum tibi, pusio, fortior arcus,  
 72 dive latens aliquid congener ursus habet :  
 73 Ursula nunc ursum geminam comitatur ad Arcton,  
 74 haec sua condemnans innuba vota cicur.  
 75 Cuncta Venus superas ! Cedunt durissima tandem,  
 76 tergaque submittunt ad tua jussa ferae.

IN NUPTIAS JOANNIS ERNESTI SCHRADERI ARCHI-DIACONI BEROLINENSIS  
 CUM MARTHA EHRENTAUTIA LILIEN.

C\_5 v.1 Schradero nostro lectissima jungitur uxor,  
 2 pastorique suo grex pius ore favet :  
 3 pronubus ex alto benedicit amantibus ipse,  
 4 o tanto felix auspice conjugium !

IN JACOBI LAMPADII DE REPUBLICA ROMAN. GERMANICA LIBRUM.

C\_6 v.1 Talis erat nuper victrix Germania Romae,  
 2 quando per innumeros laus data staret avos.  
 3 Hac lege imperii majestas illa virebat,  
 4 hoc orbis domitrix, hoc modo Caesar erat.  
 5 Hactenus invicti, victores vicimus orbis,  
 6 et lecta in nostro nomine Roma fuit.  
 7 Unum erat in fatis, ut se Germania vincat,

8           vincit, et invicta nunc cadit illa manu.  
 9       Ante tamen chartis faciem depingier istis  
 10       jussit, et imperii provida scripsit opes.  
 11       Tempus erit quondam, post quum sua busta resurgens  
 12       hinc leges repetet, juraque prisca dabit.  
 13       Nunc nihil invictum propriis non occidit armis.  
 14       Vivit adhuc quicquid scripta papyrus habet.  
 15       Cerne vices mundi. Robur tandem omne fatiscit,  
 16       et manet aeternum, quod levis aura movet.

IN PHILIPPI CLUVERII ITALIAM ANTIQUAM CONTRACTAM OPERA IO. BUNONIS.  
 ITALIAM RERUM DOMINAM, GENTEMQUE TOGATAM, CLUVERIUS VASTO CODICE  
 TRADIDERAT.

C\_7       v.1       Lectores nactum est, sed paucos, grande volumen,  
           2           magni operis moles ipsa molesta fuit.  
           3       Indoluit Buno, Romanaque regna misertus,  
           4           praebet in exiguo conspicienda libro.  
           5       Macte animo hoc Buno ! Bene sic tu perge mereri :  
           6           utile quod mundo est, qui docet, ille docet.

IN JOACH. GOEZ AB OLENHUSEN CARMINA SACRA.

C\_8       v.1       Carmina Jessaeus Regum sanctissimus olim  
           2           atque alii Hebraeo quae cecinere sono ;  
           3       Goetzius haec noster numeris inclusa latinis  
           4           exhibet, exemplo Scotia docta tuo ;  
           5       Flaminium facilesque elegos imitatus Ebani,  
           6           quosque fides docuit Beza sonare modos.  
           7       Vox diversa, eadem est pietas, mentique gemellae  
           8           fusus ab aethereo spiritus axe subest.  
           9       Macte animo hoc Goetzi ! Caelo gratissimus hymnus,  
           10          praecantat vatum cui sacra turba melos.

IN AUGUSTUM BRUNSV. ET LUNEB. DUCEM.

C\_9       v.1       Caesareus sanguis, magnique propago Leonis,  
           2           optimus et patriae duxque paterque suae :  
           3       uno vicenum lustro quum clauderet aetas,  
           4           Nestoreo Augustus hoc fuit ore senex.  
           5       Ingenii monumenta omnis depraedicat orbis,  
           6           ingensque est hominum bibliotheca stupor.  
           7       Conjuge, prole, opibus, bello ipso ac pace beato,  
           8           centena an Parcae ducere fila negent ?

IN IMAGINEM GEORGII CALIXTI  
 S. THEOL. D. ET PROF. PRIMAR. ABBAT. REG. LUTTER.

C\_10      v.1       Hactenus insolitae quem Ecclesia sancta sequestrum  
           2           pacis amat, meritis et pietate gravem,  
           3       discordi quamvis multum frendente caterva,  
           4           maximus hac Cimber fronte Calixtus erat.  
           5       Omne sacrum, et privum, et quicquid veneranda vetustas  
           6           scivit, in arcano pectore clausa latent.



7 Compositos mores et candida munera mentis,  
8 ipsa etiam haec oculis picta tabella refert.

AD HULDERICUM EYBENIUM

QUUM ACADEMIAE JULIAE VALEDICENS AD CAMER. SUMMUM IMPERII TRIBUNAL  
PROFECTURUS LIBRUM EDERET DE TITULO NOBILIS.

C\_11 v.1 Romana quidnam sanctio communibus  
2 de rebus olim, deque statu publico,  
3 Justiniani auctoritate jusserit,  
4 hoc plurimorum scire pridem laus fuit.  
5 His addidisse, nostra queis constant fora,  
6 quocumque tandem sint statuta principe,  
7 sacro aut profano, maximo est ut usui,  
8 sic aestimatur dignum honore maximo.  
9 Horum nihil nescire te, quum ostenderis,  
10 o aeviternum Frisiae Eoae decus,  
11 Huldrice, lingua regias docens scholas  
12 multos per annos hactenus, compluribus  
13 in eruditum lumen editis simul  
14 chartis, honore nomen inclitum tuum,  
15 ut juris utriusque docti interpretis,  
16 Germaniam late per omnem jam valet.  
17 Dum Juliae autem dicis ultimum vale,  
18 in posterum tribunal imperii sacrum  
19 aequa bilance temperaturus, loco  
20 longum eminente, inusitate nobilem  
21 librum elaborans, promereris utique  
22 ut singulari jure Nobilis audias.

IN PHILIPPI CLUVERII

SICILIAM ANTIQUAM IN EPITOMEM CONTRACTAM A JOAN. BUNONE.

C\_12 v.1 Felix vetustae nobilisque Doricae  
2 propago gentis ; regna qui tot inclita  
3 fecunda pinguis arva per Trinacriae,  
4 et condidistis, et potenti dextera  
5 tuti, frequenter hostium et Poeni ipsius  
6 fregistis arma, civibus docti Remi  
7 parere solis atque fato cedere :  
8 Musis iidem Palladique et Gratiis  
9 devota multum et cara quondam pectora :  
10 at nunc profundo Ditis excepti atrio,  
11 obliviosis in tenebris aut procul  
12 campis remotis degitis vitam levem.  
13 Quas, o beati, quas referre gratias  
14 quitis Cluvero ? Saeculis labentibus  
15 dudum sepulta ; posteris ipsis diu  
16 jam ignota vestrae civibus Trinacriae,  
17 felicitatis prisca sed vestigia  
18 monumenta vestrae certa quondam et gloriae,  
19 ex nocte longa qui reduxit in diem,  
20 multo labore, non Pelasgi sanguinis  
21 non educatus montis Aetnae cis pedes,  
22 allectus aut Panhormiensi praemio.  
23 Haud impares debentur autem et gratiae

24 nostro Bunoni, qui Cluverium, nimis  
 25 laboriosa quam legentium manu  
 26 excussit ac semovit hinc industria,  
 27 compendiosa reddidit penna usui,  
 28 et ipse Cattus dissito procul solo  
 29 nutritus, atque divitis spreto spei.  
 30 Tanti laboris gratiam tu a Doribus  
 31 Buno erudite quaeris ? An tibi sufficit,  
 32 cujusque cultioris ingenii bono  
 33 prodesse commodoque litterario ?  
 34 Praeclara virtus ! Attamen quisquis decus  
 35 jam tum obsoletis pristinum reddit, simul  
 36 aeternitatem nomini invenit suo.

IN JOAN. GOTHARDI VON BOECKELLEN I.U.D. ET PROF. ORATION. INAUGURAL.  
 DE NECESSITATE ET USU PHILOS. PRACT. IN STUDIO JURIS.

C\_13 v.1 Quid constitutum Romuli nepotibus,  
 2 sacroque visum purpuratorum gregi :  
 3 hoc scire, laudem promeretur plurimam,  
 4 nummisque multos ditat atque honoribus,  
 5 dum lance justa servit usibus fori.  
 6 Quantum ista scitis aeviternis consonent,  
 7 quid commodique publicae ferant rei,  
 8 tum civitati ferre cuique commodas  
 9 potesse leges, et nocentes tollere,  
 10 novere pauci, nosse solis est datum,  
 11 queis grande totum pectus imbuit sophos,  
 12 Non gloriae civilis aut opum petax.  
 13 Jungenda cuncta haec, Boekeli, recte doces,  
 14 instructus utriusque dote quum sies.  
 15 Fuco carentem hoc esse juris est Sophum.  
 16 Perfecta legum haec denique est prudentia.

AD HAIONEM RYKENA NORDA-FRIS. ORIENT. DE VOCATIONE IN JUS DISPUTANTEM.

C\_14 v.1 Dum sacra veridicae conscendis pulpita Divae,  
 2 Rikena, et eunomiae celso de ponte cathedrae  
 3 jura doces : nostrum est tantos gratarier ausus  
 4 ingenii, et primos voto mactare labores.  
 5 Illud enim doctrina sibi tua postulat, illud  
 6 artior et multis retro constrictus ab annis  
 7 nexus amicitiae ac sanctissima foedera mandant.  
 8 Ergo macte novis conatibus ! Omine laeto  
 9 prodeat in lucem serosque virescat in annos  
 10 hic fetus, similique, precor, Lucina favore  
 11 excipiat reliquos. Tu coeptos sedulus urge  
 12 conatus, operique insta. Sic praemia curis  
 13 digna tuis aliquando feres. Sic nomen ad omnes  
 14 fama tuum multa sparget cum laude nepotes.

IN NUPTIAS CAROLI BENEDICTI NÜZELII AB ET IN SONDRERSPUHL.

C\_15 v.1 Quem reducem nuper laeti exceperere parentes  
 2 et clara cognatum domus,

3 in nova nunc omnes resoluti gaudia rursum  
 4 tibi gratulantur undique,  
 5 optime Nuzeli, dum ducitur optima conjux,  
 6 favente caeli numine.  
 7 Ipse ego, jam senio fractus multoque dolore,  
 8 praestare quod queo unicum,  
 9 conjugium hoc, voveo, sit terque quaterque beatum  
 10 cum pace junctum publica.  
 11 Tuque adeo rebus patriae, par nobile, vive  
 12 in posteris quam plurimis.

IN NUPTIAS CHRISTIANI WILHELMI ENGELBRECHT JURIIUM CANDIDATI  
 ET CATHARINAE PETREIAE.

C\_16 v.1 Gaudete, o Veneres Cupidinesque,  
 2 ac quicquid hominum datur bonorum !  
 3 Engelbrechtiadae nubit Petreia  
 4 nullis sanguine contigit beato  
 5 aut pio mage nascier parentum.  
 6 Nullis sors meliora pollicetur,  
 7 aut est pollicita hac tenus cuiquam  
 8 ille flos juvenum, illa virginalis  
 9 sidus ordinis audiunt decusque.  
 10 Plaudite, o Veneres Cupidinesque,  
 11 ac torum auspicio parate fausto :  
 12 non hic degeneres dabit nepotes.

IN NUPTIAS SECUNDAS  
 JOANNIS WOLFII MEDIC. DOCTOR. ET PROF. BRUNS. ET LUNEB. PRINC. ARCHIATRI  
 ET ANNAE MARGARETHAE MARTINI ENGELBRECHT ORD. ARCHIEP. MAGDEB. SYND.  
 FILIAE.

C\_17 v.1 Frigentes aliquamdiu  
 2 curarum domitrix igniculos movet,  
 3 intermissa cientur  
 4 lecti proelia denuo.  
 5 Mater magna cupidinum  
 6 adsis : ignipotens tuque puer fave.  
 7 Noster Wolfius urit,  
 8 urit virginis illum amor.  
 9 Pol tot nunc iterum redit,  
 10 tot noctes viduas aethereus calor.  
 11 Totum et corpus oberrans  
 12 corde exaestuat intimo.  
 13 Quisnam crediderit, sibi  
 14 invenire locum posse lubidinem ?  
 15 Quis non omnia flammae  
 16 dudum exstincta putaverit ?  
 17 Di ardere virum tamen  
 18 fecerunt. Volucris tu calamo facem  
 19 excussure sagittam  
 20 junxisti Veneris puer :

21           ardebat calamus levis,  
 22 pulchrae virginis accensus ab ignibus.  
 23           Pulchrae virginis ignes  
 24           ardent pectore Wolfii.

25           Frontis sidereus nitor  
 26 vi multa tenebras discutit algidas :  
 27           nox ut furva fugari  
 28           aurorae ad strepitum solet.

29           Nox ductu redit Hesperii  
 30 tandemque Hyperion oceano abditur :  
 31           vultus Margaritis unum  
 32           lucet perpetuum diem

33           Phoebo virgo potentior.  
 34 Numquam Wolphiadae Margaritis occidit,  
 35           qualis Sirius olim  
 36           torpentem exagitat Jovem,

37           plane corde Lycaonis  
 38 sidus virginis sic gregis hoc ferit,  
 39           siccorum ipsa medulla  
 40           late ut diffluat ossium.

41           Ardentem, Venus, adjuva,  
 42 et, magnae Veneris parve puer, tuam  
 43           in flammam esto benignior,  
 44           cultorique tuo fave.

45           Adsint cum Charitum choro  
 46 ipsae Pierides atque Lubentiae.  
 47           Adsint, et moveantur  
 48           arguto ad numerum pede.

49           Neu quidquam querulum tuus,  
 50 o caeli Dea, diversicolor comes,  
 51           omen triste maritis,  
 52           cantet gutture stridulo.

53           Vos myrtho thalamum, Dii,  
 54 et tectum liquidis spargite odoribus.  
 55           Ignes Cynthia ducit,  
 56           maturate, Dii, torum.

57           Maturate, Hymen advenit,  
 58 ac suaves citharae molle movent jecur  
 59           Hymen, o Hymenaeae !  
 60           Maturate, Dii torum.

\*\*\*\*\*